DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. NOVEMB.

M. FRANCISCO BOVIONIER Doctore Medico Præside.

1058

An quæ statim à Menstruâ purgatione concipiunt, citiùs pariunt?

VTERVS, quia continendo perficiendóque fœtui dicatus est, idcircò perpetuo ferè sanguinis affluxu madescit, quamdiu ferendæ proli apta est muliebris ætas; sanguis verò, vt accommodatam effingendo atque alendo fœtui materiam præbet, sic Muliere in vtero non habente, sensim illic congeritur, nullo imperfectioris sexus, aut frigidioris temperamenti argumento, sed sapienti naturæ consilio hominum generi consulentis. Attamen, si cœptis illa excidat, vim vtero inseuit, quâ humorem morâ accrescentem, & quantitate vel qualitate grauem statim effundit, plures, si hæserit, cùm animi tùm corporis morbos pariturum. Inde fit, vt nullâ expectatâ Lunæ periodo aliàs sæpiùs, aliàs infrequentiùs redeat, quæ ferè dicitur menstrua mulierum purgatio: quam sola & singularis vniuscuiusque natura promouet, dum sui sit iuris, sicut motus omnes, qui tempestiuè humano in corpore cientur, neutiquam Soli vel Lunæ alijsue sideribus referendi. Solenni autem qui fit per vterum humorum omnis generis secessu exhilaratur natura, & quicquid demùm muliebribus in locis meditatur, quò purgatiori in vtero id elaborat, eò longè alacriùs & citiùs defunctura est.

CONCEPTIO actio vteri propria est, partus difficillima; illa seminis arctius comprehensi insitam & ab ipsis haustam parentibus vim ἰδιοπλαστικὴν exsuscitat, quâ mox successurus animus vtatur ad disponendas domicilij sui partes, quarum ipse architectus est. Pluris verò in fœtu refert, quo primùm condatur in loco. Vterus menstruo sanguine diffluens semen non raro extinguit, aut fœtum ex eo imbellem generat, post tristiora longinquæ grauiditatis fastidia cùm suo tùm fœtæ periculo nasciturum: quique originis vitium plures in annos seruaturus est, & puerilibus morbis acriùs conflictandus. Adueniente eiusdem purgationis tempore, si vtero gerere cœperit mulier, haud multò melius conceptui fiet, quem præuio mensium muco obsita vasorum vteri orificia facilè dimittunt; sanguinis autem, cum eruperit, impetus rudem adhuc & teneram genituram subruet, atque vliginoso in solo posita vix bene inchoati operis fundamenta, & quamdiu vterus fluit nutantia, moras naturæ objiciunt obruto semine languescenti: quæ adeò tardiùs longam plurimorum motuum seriem absolutura est, quò segniùs primos & præcipuos aggressa fuerit.

STATIM à menstruâ purgatione defæcato sanguine calor & spiritus vbique puriùs emicant. Vterum huius boni principem tum si pupugerit Veneris stimulus, ille auidiùs prolectum semen arctissimo complexu retinet, & occluso ostio illicò vni studet adornando conceptui. Tunc verò primùm futuro homini natura sic prouidet vt ab ipsis primordiis robur animumque ducat, quibus temporè vteri se vinculis liberabit: eò enim omnia conspirant & inclusum, vt properet, artificem incitant: recenter eliminatis sordibus optima vteri temperies: nitentia eiusdem acetabula & apprehendendis fœtus conceptaculis maximè idonea: vtrique semini insidens spiritus genitor, eóque vigens magis, quò nitidiora illapsus in loca confestim aulæa obducit affuturo mox inquilino, atque ex crassiori commixtorum seminum parte geminum parat fœtui inuolucrum. Iam feruet intus opus, & trina humanæ molis principia surgunt quæ seruatâ primæ constitutionis vi citiùs atque æquo passu ad finem progressa vegetiorem prolem mox datura sunt, & septimo mense nascituram aut noni primis diebus.

TAMETSI Mulier quouis tempore prolem ferre possit, etiam vtero fœtum iam grandiorem continente: sua tamen conceptui, sua quoque partui adest tempestiuitas, vtráque à diuerso vteri habitu repetenda. Nam cùm ille ab omni expellendi conatu conquieuit, & ita comparatus est, vt facilè se se contrahat, arque circa conceptam comprehensamque materiam obuoluatur, tunc ferendæ proli aptissimum est tempus. Contraria est ratio tàm partus quàm mensium: in his apertis passim ostiis vbique laxatur vterus, in illo totum se effundit, vt onus foras protrudat. Sed hanc pariendi difficultatem multùm naturæ leuare solet vna res, si eodem tempore partus instet, quo consuetâ excretione fluebat vterus. Quod certè fieri non potest, nisi illâ statim elapsâ mulier conceperit.

MVLTA partum accelerant, & indictum nascendi diem repræsentant; imprimis iuuenilis ætas, quâ robusta valensque natura, quicquid superfluum est, funditus expellit, támque curatum vteri sinum prestat, vt si semen eò inciderit, confestim ali atque augeri necesse sit. Adolescentularum, quia plerúmque incertâ periodo Menses fluunt, imbecillior conceptus, tardior partus esse solet. Ætas prouectior liberos generat μελαγχολικωτέρους, breuioris æui, sagacioris ingenij, & post longa gestationis tempora cunctanter ex vtero prodeuntes. Tempestatum quoque vicissitudini, cœli soli que diuersitati non leuia insunt momenta ad partum ociùs seriúsque edendum. Perflante Boreâ tàm ad concipiendum quàm ad pariendum paratiores sunt fœminæ. Concreto sub cœlo & humidioris plagæ incolis difficilior conceptus, diuturna gestatio, aborsus frequentior. Sed isthæc omnia laborantis vteri non innoxia sunt irritamenta, aut nisi maturo iam fœtui succenturientur vana sæpè incitamenta. Vnius est Naturæ, quæ cuiusque ortum semine atque sanguine Menstruo inclusit, vtriusque motus omnes & progressus sic regere, vt sollicita matrum vota tàm fœlici quàm cito partu solummodo beauerit, cum optime se habente vtero prolem susceperint: at nunquam vtero melius est, quam statim à menstruâ purgatione.

Ergo quæ statim à Menstruâ purgatione concipiunt, citiùs pariunt.

~~498~~

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Tardi.	*M. Petrus de Mercenne.*	*M. Franciscus Mandat.*
M. Ioannes Forestier.	*M. Andræas Guyet.*	*M. Claudius Lienard.*
M. Michaël du Port.	*M. Ioannes Garbe.*	*M. Dionysius Allain.*



Proponebat Lutetiæ PETRVS LE LARGE Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LVI.